



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Eidem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

inanes, auctores etiam & procuratores illarum, nisi moniti satisfecerint, excommunicationis vinculo innodarent, si qui verò prædictorum noluerint ablata vel extorta repetere, detentores eorum nihilominus ipsa restituere compellerent in terrâ sanctâ subsidium juxta mandatum apostolicum reservanda. Cùm igitur ad subsidium terræ sanctæ totis affectibus aspiremus, volentes id per tuæ sollicitudinis studium effectui mancipari, per apostolica tibi scripta mandamus quatenus ea quæ taliter fuerint reservanda facias apud domos Hospitalis & Templi accuratè deponi & fideliter custodiri, recipiens super ipsis depositis testimoniales litteras Magistrorum, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo compellens. Datum Laterani 11. Kal. Novemb. pontificatus nostri anno sextodecimo.

E I D E M.

Cùm non possit Ecclesiis meliùs provideri quàm si eis præficiantur pastores idonei, qui non tam præesse cupiant quàm prodesse, fraternitati tuæ, de qua plenam fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus quatenus episcopatus & abbatias Angliæ nunc vacantes facias cum tuo consilio de personis idoneis per electionem vel postulationem canonicam ordinari, quæ non solum vita & scientia sint præclaræ, verùm etiam Regi fideles & regno utiles, necnon ad consilium & auxilium efficaces, assensu regio requisito. Cùm ergo vacantium Ecclesiarum Capitulis nostris demus litteris in præceptis ut tuo consilio acquiescant, tu Deum habens præ oculis, consulas super hoc viros providos & honestos, qui plenè norint merita personarum, ne te cujusquam astutia circumveniri contingat. Si qui verò contradictores fuerint vel rebelles, tu eos per censuram ecclesiasticam appellatione remota compefcas. Datum Laterani 11. Kal. Novemb. pontificatus nostri anno sextodecimo.

*Scriptum est super hoc vacantium Ecclesiarum Capitulis.*

NEAPOLITANO ARCHIEPISCOPO.

Constitutis in nostra præsentia venerabili fratre nostro Alferio Archiepiscopo & dilecto filio Matthæo Canonico Surrentinis, dum idem M. accusationis concepto libello eundem Archiepiscopum deferret de crimine simoniæ, asserens nihi-

lominus eum crimini læsæ majestatis obnoxium, eò quòd, ut dicebat, eodem Archiepiscopo machinante Surrentina civitas à regia fidelitate recessit & reprobo juravit Othoni, ac ipsum Archiepiscopum excommunicatum celebrasse divina, cùm post talem machinationem, per quam machinatores hujusmodi latam à sede apostolica excommunicationis sententiam incurrerunt, divina præsumperit celebrare, Archiepiscopus, antequam describendi libellum fieri sibi copiam postulareret, in personam accusatoris quòd esset inimicus & conspirator excepit, allegans interdicendum ei aditum accusandi, cùm secundum instituta canonica inimici & conspiratores in nullus debeant accusationem admitti. Ad quod pars adversa respondit quòd cùm tanta sit læbes simoniæ pravitatis ut servi adversus dominos & criminosi quilibet admittantur, & in prodendo crimine læsæ majestatis socius etiam in ita factionis non solum auditur, quin immo præmio & honore donatur, super præmissis exceptiones hujusmodi accusationem elidere non valebant, præsertim cùm publicæ utilitatis inter sit ne crimina remaneant impunita. Fuit autem ad hæc ex adverso responsum quòd cùm in decreto Anacleti Papæ caveatur expressè accusatores esse non posse qui ante hesternum diem aut nudius tertius inimici fuerunt, ne irati nocere cupiant vel læsi ulcisci, & inoffensus accusatorum quaratur affectus, & non suspectus, ac constitutio Callisti Papæ generaliter interdicat conspirationem in alicujus accusationem admitti, nec in aliquo canone sit expressum quòd inimicus ac conspirator in exceptis criminibus audiatur, ne quod sanctorum patrum documento sancitum non est superstitiosis adventionibus attentetur, circa præmissa prohibitioni standum est generali, præsertim secundum æquitatem canonicam, quæ viam non debet malignitibus aperire. Inter hæc autem de causis inimicitiarum & conspirationis Archiepiscopus interrogatus respondit quòd memoratus M. ipsi Archiepiscopo & cùm in Archidiaconum & cùm in Archiepiscopum fuit assumptus se opposuit adversarium manifestum. Præterea cùm quidam Neapolitanus fuisset in mortem fratris Archiepiscopi machinatus, & per amicos ipsius eiceretur de propria civitate, quidam magnates quos dictus Neapolitanus consanguinitatis linea contingebat ejectionem illius ad injuriam reputantes, eundem induxere Matthæum ut cum quibusdam aliis

Cap. Tanta. & ca. Licet Heli. De simonia.

39. c. Accusatoris.

Callistus I. epist. 2. cap. 1.

Epist. 118. Super eodem. Videtur at. Paris. ad an. 1217 ubi hæc epistola refertur.

Epist. 119. De accusatione adversus Archiepiscopum Surrentinum. Cap. Constitutio. De testib.